

nitus inconnexa cum interpositione morie notabilis; quoties denuo redeas ad idem desiderium, toties adest novum peccatum numero distinctum. Unde qui hodie decrevit occidere Petrum, data opportunitate, si hæc per diem, hebdomadam, mensem, aut annum non occurrat, debet in confessione exprimere quoties retractavit, & reassumpsit modo dicto illam intentionem, vel saltem tempus, quo perseveravit in sua prava voluntate; cum nequeat aliter melius exprimi hujusmodi peccata in confessione.

161. Pro generali autem regula interruptionis moralis nequit assignari unus dies, ut in consequenter astruit Concina in præsentia; ipse enim agens de intentione virtuali necessaria pro applicatione missæ ait, perseverare viginti diebus; ita ut si recipias hodie viginti stipendia, sufficit formare hodie intentionem pro applicatione respectiva viginti dierum sequentium. Cur quæso, si perseverat ibi eadem intentio virtualis viginti diebus, non potest hic eadem moraliter perseverare nisi uno die? Præterea si tantum unico die durat intentio virtualis, mandans alteri ut suo nomine post hebdomadam inerat matrimonium, aut alios contractus, nullos eos efficit sine renovatione, nec retractatione intentionis, quod est absurdum. Insuper si quolibet die discontinuatur moraliter peccatum, furans quotidie quidquam leve, numquam committet furtum grave: patet, quia juxta Concinam peccatum unius diei est moraliter interruptum, & inconnexum cum peccato diei sequentis; unde furtum leve hodiernum non unitur moraliter cum furto levi crastino, & consequenter numquam conflabunt materiam gravem, aut grave furtum; sed hæc sequela est manifeste falsa: erg. ruit positio Concina, & regula ab ipso tradita *lib. 4. de peccat. cap. 6. n. 19.*

162. Igitur in his peccatis vix potest assignari regula clarior, nisi quod exprimat in confessione tempus durationis prævi animi, dicendo, tanto tempore habui propositum v. g. non restituendi, aut non solvendi debita. Vel habui animum faciendi, seu occidendi per hebdomadam, mensem, aut annum: & demum illud peregi, aut non. Sic eximuntur Theologi

a questionibus satis implexis, & Confessarii a molestis interrogationibus.

163. Inq. 2. Quando isti actus voluntatis per manere virtualiter dicantur? R. Quod licet fixa regula vix assignari valeat, cum una materia majorem extensionem quam alia admittat; tamen tunc actus voluntatis censetur permanere moraliter, quando physice discontinuatur solum per interruptiones communes: puta per inadvertentiam, comestionem, somnum, aut alia negotia, quia cum prima voluntas virtualiter perseveret in intentione, per actionem externam consumanda unitur, & continuatur cum secunda. Unde qui primo mane decrevit occidere Petrum vespere, & sine retractatione ita complevit, licet interruptiones communes interfuerint, unum tantum peccatum committit. Quod contra evenit, quando interruptiones sunt longiores, aut diuturnæ, ut per mensem, aut hebdomadam juxta materiam qualitatem, & operantis intentionem.

164. Regula 6. in omnibus peccatis sive internis, sive externis post consummationem inspicis sumitur distinctio numerica ex interruptione morali, aut interpositione temporis, & actus repetitione. Unde quatuor desideria prava diversis temporibus, sunt quatuor peccata in mente consummata: quatuor blasphemiarum diversis temporibus prolata similiter sunt quatuor peccata consummata in verbis: quatuor denique furta cum interruptione morali perpetrata, totidem sunt peccata opere consummata. Nota vero aliqua esse peccata, in quibus licet nulla adsit interruptio, datur tamen distinctio numerica, quia sunt actus adeo completi, ut nullam connexionem habeant cum aliis: hujusmodi sunt homicidium, copula, pollutio, & similia. Unde quatuor copulae, pollutiones, homicidia, esto continuata, sunt quatuor peccata. Alia autem criminalia non sunt adeo consummata, & completa, ut ad suam distinctionem numericam aliquam interruptionem non requirant, ut de contumeliis, & blasphemis ex eodem impetu prolatis dicitur communiter.

165. Inq. 3. An in his peccatis sufficiat quælibet mora temporis pro interruptione morali, & numerica distinctione? R. neg. quia in talibus peccatis illa

la requiritur discontinuatio, ut prudenter judicetur altera actio, seu distincta operatio. Unde qui in die jejunii credens finitum prandium, involvit mapulam, & novo ferculo adducto comedit, non frangit jejunium, quia idem judicatur prandium. Aliud est de eo, qui animo non redeundi surgit a mensa, & post aliquod spatium redit ad mensam; tunc enim reputatur distinctum moraliter. Si vero surgat animo redeundi, & peracto negotio breviter redeat, non violat jejunium, quia una refectio moraliter censetur.

166. Tactus copulae præcedentes nisi nimium protrahantur, aut fiant absque intentione illam habendi, unum constituunt peccatum cum illa tamquam ejus partes. Habiti immediate post illam probabilius asserunt plures esse distinctum peccatum. At liberetur fatemur, quod loquimur in hac materia sicut cæci de coloribus. Ignoramus enim an tactus immediati, & proximi sint complementum operationis; nam si supponatur copula undequaque consummata, nemo negare valet, tactus subsequentes distinctum constituere peccatum: eo modo, ac assecuto suo termino adæquato, finit prior motus; si vero ultra progréditur, incipit alius.

167. Inq. 4. An actus externus pravus sit exprimeendus in confessione? R. affirm. Constat ex propos. 25. damnata ab Alexandro VII. *Qui habuit copulam cum soluta, satisfacit confessionis præcepto dicens: commissi cum soluta grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.* Falsitas hujus propositionis liquet ex eo, quod actus externus non est aliqua circumstantia, sed potius substantia, consummatio, & complementum pec-

cati: erg. debet in confessione fateri tamquam peccati pars substantialis.

MONITUM.

168. Pro coronide hujus tractatus adverte, pie Lector, quanta sit malitia, & turpitudine peccati. Tanta enim est peccati malitia, ut nihil sit in mundo, nec in inferno malum nisi peccatum. Tolle peccatum, & non erit infernus. Peccatum fecit ex pulcherrimis Angelis terribissimos Demones, ex hominibus jumenta, ex filiis Dei mancipia vilissima Diaboli. Peccatum clausit cælos, aperuit tartara, proseripit vitam, attulit mortem, & harmoniam totius universi dissolvit. Nec Dæmon, nec Deus ipse, potest homini inferre tantum malum, sicut infert illi peccatum. Ejus offensa in Deum est simpliciter infinita, nullo supplicio adæquate punitur; quia non valet puniri, quantum ex se punibilis est. Nec æterna tormenta omnium damnatorum sufficiunt ad punitionem unius offensæ gravis Dei. Intuere, peccator, quid agis, quando adeo facile peccas. Miserere tui ipsius, ne tantum malum voluntarie tibi inferas.

169. Seneca sine fidei lumine adeo horrebat turpitudinem peccati, ut diceret: *Licet scirem homines ignoraturos, & Deum ignosciturum, tamen peccare nollem, ob peccati turpitudinem.* Sic apud Corn. in ep. ad Hebr. c. 12. v. 4. Si homo Gentilis hoc dicebat, quid diceret, si credidisset, quod pro delenda peccati turpitudine Filius Dei pendit in Cruce, & fuso suo sanguine, acerbissimam pertulit mortem? Considera ergo Christiane quid te dicere, & agere deceat, & quanto horrore a peccato fugere debeas!

TRACTATUS SEXTUS

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

A Nequam ulterius procedamus, oportuum ducimus quidquam prælibare circa Decalogum in generali;

cum dicta, dicendaque præcipue in hoc volumine ad ejus observantiam dirigantur.

CAPUT UNICUM.

De Decalogi, ejusque præceptorum numero, ordine, & obligatione.

PUNCTUM I.

De natura Decalogi, ac ejusdem præceptorum numero.

1. Inq. 1. Quit sit Decalogus? R. est summa, seu epitome legis naturalis, & divina, imo quidam cathalogus omnium legum: nam sicut symbolum Apostolorum est summa credendorum, & oratio Dominica omnium petendorum, ita Decalogus est summa omnium agendorum. Vide D. Th. 1. 2. q. 100. art. 3.

2. Igitur Decalogus est lex naturalis, & divina decem præceptis comprehensa populo Hebræorum a Deo duabus tabulis per Moysen data, & promulgata. Dicitur lex naturalis: tum quia ejus præcepta sunt de jure naturæ, tum quia ad illud omnia præcepta naturalia reducuntur: additur divina, quia etiam est lex positiva a Deo immediate hominibus data. Decem præceptis comprehensa: quia totidem continet mandata. Populo Hebræorum a Deo duabus tabulis per Moysen data, & promulgata, sic enim constat ex sacra pagina. Primus, qui hæc decem præcepta Decalogum appellavit, fuit Clemens Alexandrinus lib. 6. Strom. cui ceteri libenter accesserunt.

3. Inq. 2. Quot, & quanam sint præcepta Decalogi? R. sunt decem, ut ipsum nomen Decalogi satis indicat: & patet ex 4. Deuth. ubi dicitur: Ostendit vobis pactum suum, ut faceretis, & decem verba, que scripsit in duabus tabulis lapideis. Sic autem enumerantur. Exod. 20. & Deuteronomii 5. Primum. Non habebis Deos alienos. Non facies tibi sculptile. Non adorabis ea, & non coles. 2. Non assumes nomen Dei tui in vanum. 3. Memento, ut diem sabbati sanctifices. 4. Honora patrem tuum, & matrem tuam. 5. Non occides. 6. Non moechaberis. 7. Non furtum facies. 8. Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. 9. Non concupisces uxorem proximi tui. 10. Non desiderabis domum pro-

ximi tui: nec omnia, que illius sunt.

4. Dices: Nono, & decimo præcepto, prohibentur desideria contra sextum, & septimum; sed etiam desideria contra cetera præcepta sunt peccata lethalia: ergo plura, quam decem assignari debent Decalogi præcepta. R. concedendo præmissas, & negando consequentiam; quia delectatio carnalis, & divitiæ apparent ex se adeo appetibiles, ut conveniens sit expresse prohiberi earum desideria; verum homicidium, & alia sunt ex se horribilia: & ideo non ita alliciunt appetitum; ideoque non fuit necessarium prohiberi expresse eorum desideria, sed tantum opus externum. Nota, quod inter omnes leges scriptas, prima est lex Decalogi cum judiciali, & cæremionali. Ante Moysen regebantur homines lege naturali: Moysi autem dedit eam in monte Syna scriptam, & inter fulgura & tonitrua promulgatam.

PUNCTUM II.

De ordine, & obligatione præceptorum Decalogi.

5. Inq. 1. Quæ sint præcepta primæ tabulæ, & quæ secundæ? R. Tria priora præcepta esse, & dici primæ tabulæ; & septem posteriora secundæ tabulæ: illa ordinatur ad honorem Dei, hæc ad utilitatem proximi. Principia universalia per se nota, ut lonum est faciendum; malum est fugiendum, & præcepta fidei, spei, & caritatis, & timoris continentur in Decalogo, non quidem explicitè, sed implicite, & velut principia in conclusionibus. Alia autem præcepta, quæ majore egent discursu ad sui cognitionem, ut illa, que versantur circa superstitionem, simoniam, usuras, & alia hujus generis continentur in Decalogo, sicut conclusiones in suis principiis. Ita D. Thom. ubi sup. art. 4.

6. Unde ad primum præceptum, in quo prohibetur cultus Deorum, reducuntur in primis præcepta universalia juris naturalis; item præcepta fidei, spei, & caritatis, quibus vere colitur Deus. Deinde, omnia, que prohibent idolatriam, superstitionem, vanam observantiam, divinationem, magiam, simoniam, & a-

lia

lia hujusmodi. Ad secundum de non assumendo nomen Dei in vanum reducuntur præcepta prohibentia blasphemias, votorum violationem, & falsam doctrinam. Ad tertium de sanctificatione Sabbati reducuntur omnia præcepta cæremonialia, quæ ordinantur ad verum cultum Deo, ejusque sanctis tribuendum.

7. Ad quartum de honoratione patrum reducuntur omnia præcepta circa reverentiam senibus, & majoribus exhibendam: & circa beneficia æqualibus, aut minoribus conferenda. Ad quintum reducuntur omnia, que prohibent odium proximi, ejusque lesionem spirituales, & corporales. Ad sextum, quo prohibetur adulterium, reducuntur præcepta, quæ interdicit omnem actum luxuriæ. Ad septimum reducitur prohibitio omnis rapinæ, usuræ, fraudis, & injustitiæ in contractibus. Ad octavum de prohibitione falsi testimonii reducuntur præcepta, quæ prohibent mendacium, detractionem, contumeliam, convitium, judicium temerarium, & alia hujusmodi contra proximum. Ad nonum, & decimum nulla alia præcepta reducuntur: quia vere sunt quedam additiones sexti, & septimi præcepti.

8. Inq. 2. An omnia præcepta Decalogi obligent nunc in lege gratiæ? R. affirm. quia licet fuerint promulgata per Moysen; sunt tamen de jure naturæ, & indispensabilia omnino, saltem quoad substantiam. Igitur licet morte Christi cessaverit lex Moysis quoad cæremonialia, & judicialia; nullatenus verò quoad moralia, & naturalia. Obligatio ista gravis est, quare ejus transgressio solum ex duplici capite venialis evadere potest, nempe ex parvitate materiæ in præceptis, quæ illam admittunt, & ex defectu deliberationis. Lutherus inter alios errores ab Orcō erutos, contendit Decalogum solum Judæos obligare; idem tenuit Melanthon ejus quandoque discipulus, sed aperte pugnant cum Evangelio, & ejus Authore, qui dixit adolescenti: Si vis ad vitam ingredi, serva mandata, Matth. 19.

9. Inq. 3. An mandata Decalogi sint observata difficilia? R. minime. Calvinus finxit aliud commentum, quod Decalogus obligat Christianos, sed ejus præ-

cepta sunt observata impossibilia. Ex qua a verni doctrina efficit Deum injustum Legislatorem, & crudelem judicem, utpote qui obligat ad impossibile, & punit transgressiones, quas vitare nemo valet. In hac putrida cisterna epotavit Jansenius partem puris, ut erronee diceret aliqua Dei præcepta esse impossibilia, desesseque gratiam, qua possibilia fiant. Sed contra hujus modi somnia impia, & hæretica dicimus nos præcepta Decalogi esse observata facillima. 1. Quia pleraque possunt impleri, & implentur sola omissione voluntaria: quid autem facilius quam nolle? Noli occidere, moechari, furari, mentiri, nec concupiscere uxorem, aut bona proximi, & implevisti perfecte hæc præcepta Decalogi. Solum præcipit, & vetat Deus in Decalogo, quod necessario jubere, & prohibere debuit.

10. Prob. 2. Quia ex decem præceptis solum tria dantur, ut sic dicamus, pro Dei gloria, & septem pro nostra utilitate. 3. quia omnia sunt adeo consentanea naturæ rationali, ut si oppositum juberent, illi maxime repugnarent, nec possent ab omnibus observari, ut consideranti patebit. Prout sunt autem, facillime ab omnibus impleri valent. Sed heu! Cum hæc veritas meridiana luce clarior sit, quomodo a tam paucis verus Deus colitur, & ejus præcepta observantur? Non aliunde nisi quia vitium pro natura inolevit, & omnis caro, corrupta via, & obtenebrata vitiis caligine, ratione putat bonum malum, & malum bonum; nolunt audire Deum patrem suavissimum, dimittit eos secundum desideria cordis eorum, eunt cæci in adinventionibus suis, vivunt vitam difficilem observando præcepta Diaboli, carnis, & sanguinis, & tandem laxati in via iniquitatis cum majori labore, vexatione, & fatigatione descendunt miseri ad inferos, quam justii ascendunt ad cælos. Proh dolor!

11. Objic. Dilectio inimicorum est valde difficilis, & alia hujusmodi, quæ in Dei lege jubentur, sunt satis gravia: ergo præcepta Decalogi sunt observata difficilia. R. neg. antec. Dilectio enim inimicorum non requirit vires, pedes, manus, nec salutem; a quolibet quippe omnibus his destituito impleri optime valet;

suf-

sufficit velle, quo nihil facilius gratia Dei, quæ nulli denegatur. Si autem illi cui fit dura, & gravis dilectio inimicorum, id non provenit ex præcepto, sed ex corruptione naturæ, quæ inordina-

to appetitu cupit vindictam de inimico; & quia non vult dimittere, fingit laborem in præcepto. Vellit, & implementum est. Vid. D. Thom. 2. 2. q. 25. art. 8.

TRACTATUS SEPTIMUS

DE FIDE.

Fides, spes, & caritas sunt quædam præambula ad legem, & reducuntur ad primum Decalogi præceptum; unde harum virtutum notitiam per prius exponendam aggredimur, incipientes a fide, quæ est humanæ salutis initium, ut ait Trid. Concil. sess. 6. cap. 8.

CAPUT I.

De natura, objecto, subjecto, necessitate, & præceptis fidei.

PUNCTUM I.

Notio, & divisio fidei.

1. Inq. 1. Quis sit fides? R. fides in communi est credere, quod non videmus, ob testimonium dicentis. Si dicens est homo, erit fides humana, si dicens est Deus, erit fides divina, & de hac loquimur in præsentia. Igitur fides divina est virtus supernaturalis, quæ creditur veritates a Deo revelatas, & ab Ecclesia propositas. Dicitur virtus supernaturalis, quia a Deo nobis infunditur, & nequit nostris actibus acquiri: quæ creditur veritates a Deo nobis revelatas, quia quæ fide credimus, excedunt omnem captum, & vires naturales. Additur & ab Ecclesia propositas, quia Ecclesia est magistra veritatis, per quam Deus vult omnes suas veritates nobis credendas proponi, ne unusquisque credat, quod velit, ut accidit hæreticis. Unde dixit Augustinus lib. contra epist. fundamenti cap. 5. Ego Evangelio non crederem, nisi me Ecclesia commoveret autoritas. Tradita definitio coincidit cum descriptione ab Apostolo facta ad Hebr. 2. nempe fides est sperandarum substantia rerum, argumen-

tum non apparentium. Substantia, id est basis, seu radix rerum sperandarum. Argumentum, id est manductio, seu firma rebus, quæ non videntur, adhesio, ait D. Thom. 2. 2. q. 4. a. 1.

2. Inq. 2. Quotuplex sit fides? R. est actualis, & habitualis. Actualis est ipse actus, quo credimus veritates a Deo revelatas. Habitualis est habitus, quo ipsas veritates credimus. Deinde fides actualis alia est implicita, alia explicita. Implicita est, quando aliquid creditur in alio, ut in principio universali contento; ut qui credit ea, quæ docet sancta mater Ecclesia, credit implicite omnia mysteria ab ea proposita. Explicita datur, quando articulus in particulari, & explicite creditur, ut mysterium Sanctissimæ Trinitatis, aut Incarnationis. Credens implicite tantum credit, ac explicite credens; & differentia solum consistit in eo, quod credens implicite non discernit unum articulum ab alio, sicut credens explicite.

3. Dividitur etiam fides in formatam, & informem. Formata est, quæ conjungitur cum gratia, & caritate, ut in iustis. Informis est, quæ caret gratia, & caritate, ut in peccatoribus. Non sunt duo habitus, nec differentie speciei fides formata, & informis, tantum ergo distinguuntur accidentaliter, sicut perfectum, & imperfectum in eadem specie, immo in eadem numero entitate, ut patet in quolibet fideli, qui licet transeat de iusto in peccatorem, aut e contra, eandem fidem entitative retinet. Tandem potest dividi fides in publicam, & privatam. Publica est, quæ proponitur a tota Ecclesia. Privata est, revelatio facta a Deo particulari personæ, quæ indiget evidentia in attestante, ut possit, & de-

beat

beat firmiter eidem revelationi credere.

timonio Dei, cui impossibile est subesse falsum.

PUNCTUM II.

De objecto, & subjecto fidei.

4. Inq. Quod sit objectum fidei? R. Est duplex, aliud materiale, seu formale quod; aliud formale quo. Objectum igitur materiale, seu formale quod fidei primum est Deus, & omnes veritates, quæ de Deo creduntur. Objectum secundarium sunt omnes veritates, quæ de creaturis a Deo revelantur, ut de Adam, Eva, & cæteris. Nam objectum materiale cujusvis habitus est omne id, ad quod ipse se extendit; sed fides se extendit ad omnes veritates a Deo revelatas, & ab Ecclesia propositas: ergo omnes sunt objectum materiale fidei. Tum sic: sed quod primum credimus per fidem est ipse Deus; reliqua vero per ordinem ad illum: ergo Deus est objectum primum fidei; cætera autem objectum secundarium. Ad hoc, licet ut quid principale, pertinet humanitas Christi Domini.

5. Objectum formale quo, vel ratio formalis sub qua fidei est prima veritas obscure revelans, vel revelatio formalis: nam si a fideli quæras, cur credit Deum esse trinum, optime respondet: quia ita est revelatum a Deo, qui nec fallere, nec falli potest; ratio autem cur non potest fallere, nec falli, plusquam ad fidem atinet ad Theologiam, quæ per legitimum discursum infert, non posse fallere, quia est summe verax; nec falli, quia est summe sapiens; licet hoc ipsum per alium actum fidei vere credamus. Unde ultima resolutio assensus fidei fit in autoritatem Dei revelantis; propositio autem Ecclesiæ tantum est conditio exponens, quæ sunt, vel non revelata a Deo. Hæc Ecclesiæ propositio deservit nobis pro evidentia in attestante, quæ est certitudo, quod Deus est, qui loquitur, aut revelat. Ex contemptu hujus propositionis errant infelices hæretici.

6. Inq. 2. Qua certitudine gaudeant veritates fidei? R. gaudere certitudine super metaphisica, quæ omnem aliam certitudinem superat; ita ut impossibile sit oppositum accidere, quia nituntur tes-

Tom. I.

timonio Dei, cui impossibile est subesse falsum.

7. Inq. 3. An mysteria fidei sint evidenter vera? R. quod licet mysteria fidei non sint evidenter vera, sunt evidenter credibilia, juxta illud Psalm. 92. Testimonia tua credibilia facta sunt nimis. Pro quo nota, quod evidenter verum solum est illud, quod videmus, aut per claram demonstrationem agnoscimus, & hoc pugnat cum fide. Evidenter autem credibile est illud, quod argumentis, & motivis adeo manifestis probatur, ut convincant rationem, & prudentiam ad credendum. Sit exemplum in eo, qui numquam fuit Romæ, huic non est evidenter verum Romam esse, quia illam non vidit; est tamen evidenter credibile Romam existere, quia tot sunt testimonia hujus veritatis, ut omne dubium expellant, & illam faciant evidenter credibilem. Ita ergo mysteria fidei sunt evidenter credibilia propter argumenta adeo luculenta, & motiva adeo manifesta, quæ illa testantur, probant, & confirmant. Tot enim vaticinia Prophetarum, innumera Martyrum multitudo, tanta miraculorum copia, Idolorum eversio, religionis sanctitas, & admirabilis ejus propagatio cum aliis pluribus argumentis efficiunt fidem nostram evidenter credibilem. Ita ut si decipimur, a Deo decipimur: quod est impossibile; Deus enim non deceptor, sed verus, verax, & ipsa veritas est.

8. Nihilominus pia affectio, seu pia motio voluntatis, quæ probabilis est supernaturalis, requiritur necessario ad fidem; quia intellectus, etiam positus omnibus requisitis, & argumentis ad credendum, adhuc non convincitur, sed manet indifferens propter obscuritatem objecti: ergo petit necessario determinari a pia affectione voluntatis, quæ objecti evidentiam suppleat. Ex defectu hujus piæ affectionis sunt plures increduli, obturando misere aures suas motivis, & argumentis adeo credibilibus.

9. Inq. 3. Qui sint præcipui actus fidei? R. sunt tres, nempe credere Deo, credere Deum, & credere in Deum. His actibus adæquate exercetur habitus fidei circa objectum primum: hoc est, credere Deo, tamquam primæ veritati re-

Pp

ve-